



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Iosephi Vicecomitis Ambrosiani Collegii Doctoris
Observationes Ecclesiasticæ In quo [!] de Antiquis
Baptismi Ritibus, ac Cæremonijs agitur**

Visconti, Giuseppe

Parisii, 1618

Cap. 19. Olim dete[m]siliquas baptizatis datas esse, cuius consuetudinis ratio, & exitus octenduntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64585](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64585)

Augustinus explicarunt: Apostolosque calceos tulisse, verba Act. 12. significant: dum Angelus Petrum alloquitur: *Ἐξουδυνε τὰ πόδια σου*, id est, vt ait noster interpres, *calcea te caligas tuas*:) nihilominus fieri potuit, vt calcei baptizatis darentur: non vt eos perpetuo deferrent, sed vt septem diebus post baptismum induerent: quemadmodum de veste candida, mystico velamine, cereo, ac corona contigit.

Olim decem siliquas baptizatis datas esse: cuius consuetudinis, & ratio extus ostenduntur.

CAP. XIX.

Sequuntur decem siliquæ, quas baptizato Pontifex dabat. In quarum ego tractatione, vix credat lector, quam inuito animo vester: videntur enim plus admirationis habere, quam fidei: & recte viderentur, nisi ita rem se habere, veterum Patrum testimonia declararent. Succurrit enim Ordinis Romani auctoritas tit. de sabb. sancto: vbi ille describens, quomodo Pontifex sacra baptismi munera obeat, *egreditur, inquit, a fonte in sacrarium, habens ibi compositam sedem, vt in Ecclesia, vbi voluerit, & sedeat in ea, & cum vestiti fuerint infantes, confirmet eos. Et deportantur ipsi infantes ante eum, & dat singulis stolam candidam, & chrismale, & decem siliquas, dicens: accipe, &c.*

Episcopus dabat decem siliquas baptizato.

Quæ omnia ferè ad verbum Albinus Flaccus desumpsit, & Ecclesiæ seruanda tradidit lib. de Diuin. Offic. cap. de sabb. S. Pascha, ita scribens: postquam vero vestiti fuerint, deportantur ante Pontificem ad confirmandum: quibus dat singulis stolam candidam, chrismalem, & decem siliquas, & sic vestiuntur. Quid clarius, aut ad rei proba-

Quid esset siliqua. tionem testatius dici potuit? Erat vero siliqua,

minimi valoris pecunia, quæ cum nostro uiciorum genere comparata, vigesimam solidi partem, ad pondus autem redacta, scrupuli sextam partem, dragmæ vero decimam octauam conficiebat: vt Budæus, & reliqui vetu-

Causa dandi siliquas baptizatis. statis indagatores docuerunt. Cuius causam si quis à me sciscitetur, respondebo fuisse, vt delerent eam maculam, quam Christianorum nomen susceperat, eos res diuinas pretio venales habere; & vt ostenderent, se magis salutis hominum causa, quam rei familiaris augendæ, ad Christi fidem sollicitare. Quæ de causa etiam nummos, baptizanti dari solitos, accipi vetitum fuisse, libro præcedenti^a docuimus.

Cap. 2: Parochis vetitum est, munera in baptismo accipere. Ex quo discere debent nostri temporis Parochi, quam alacres esse oporteat in rejiciendis muneribus, quæ à susceptoribus offeruntur; sicut illis à S. CAROLO, & FEDERICO, binis Ecclesiæ nostræ luminibus, sapienter prescriptum est. Hac enim ratione non modo sordidæ auaritiæ omnem à se suspensionem remouebunt; sed etiam veteri consuetudini congruenter facient, quæ post Albini tempora paulatim desuit; cum adulatorum baptismo finis impositus est.